

CVR BARBARIA POST SAECVLA LONGA NON CADIT, O CASTRIS MILES AMICE MEIS?*

I. Titulum huius symbolae partim a poeta Sulmonensi¹ mutuata sum, partim animo finxi postquam quoddam epigramma legerim a viro Lusitano compositum nomine ARIO BARBOSA (ca. 1460-1540), poeta egregio et professore in universitate studiorum Salmanticensi saeculis decimo quinto exeunte et decimo sexto ineunte, ubi ipse primam cathedram linguae Graecae posuit illis temporibus, quibus adventus in Hispaniam magistrorum peregrinorum, maxime Italorum, auram novam adtulit in scholas vetustas et obsoletas Academiarum nostratium.

Epigramma illud in lucem editum est primum Salmanticae anno millesimo quingentesimo vicesimo, deinde Conimbrigae, sedecim annis post, aliquantulum mutatum et minutum, cuius priores versus exscripsi, utpote qui statum plane atque omnino exhibeant, quem Barbosa in hac Academia invenerit:²

Barbariam geminis superavit Graecia lustris,
Hic nec barbaries post duo lustra cadit.
At cur hoc, iuvenes? Quia sunt ex hostibus ipsis,
Qui vestras classes, agmina quique regunt.
Non horum ingenium prosa est vel carmine cultum, 5

* Haec ego gratanter scribere constitui in honorem magistri Ansgarii Legionensis, iam multos annos sodalis humanissimi et *castris militis amici meis*, cui tempus irreparabile fugiens eum nunc cogit rude donatum esse. Nomine enim Athenaei Gaditani haec verba dico ei, qui fautor alacer Latinitatis semper fuit, atque imo ex corde exopto ut ipse, quamvis procul negotiis scholasticis nunc versetur, plurimos annos beatus vigeat et floreat optimo proventu et artis gratia homines docere pergat. Opus hoc fovetur auspiciis ac stipendiis Hispanici ministerii institutioni, cultui scientiaeque provehendis (cuius sigla sunt PGC2018-094604-B-C31(MINECO/FEDER)).

¹ Ov. *Pont.* 3, 3, 81-81: *Quae nunc cur iterum post saecula longa revisam / tu facis, o castris miles amice meis.*

² Carmen in libro Petri Margalho c.t. *Phisices Compendium*, primum Salmanticae anno 1520 in lucem editum est in laudem huius operis atque ad notandam barbariem in Academia ipsa insitam; deinde Conimbrigae iterum editum est anno 1536 in opere c.t. *Antimoria eiusdemque nonnulla Epigrammata* (S. T. Pinho - W. de Medeiros Aires Barbosa. *Obra poética: I. Epigramas. II. Antimória [1495-1536]*, Coimbra: Universidade de Coimbra, Universidade de Aveiro, 2013, 46, 172-175). Litteras inclinatas posui hoc in carmine aliisque locis memoratis.

Hi fari Latie³ dedecus esse putant.
 Nam si quis Latium verbum tentaverit, illum
 Ut stolidum irrident grammaticumque vocant.
Iam monstri simile est hos inter Graeca sonare
 Ac mula foeta mirius illud opus. [...] 10

In his enim versibus «Magister Graecus», ut professor ille Lusitanus apud nos notus erat, ab iuvenibus Hispanis quaerebat quomodo fieri posset, ut Graeci post decem annos barbariam vincere potuissent (ipse videlicet bellum Troianum atque viros Troiae habitantes, qui «barbari asiatici» habebantur, significare vult), in Academia autem Salmanticensi barbari adhuc superessent et vigerent post eundem numerum annorum. Magister ipse respondebat causam esse ex magistris eisque hostibus ipsis, qui eorum classes sive scholas gubernabant, quorum ingenium nec prosa nec carminibus cultum erat. Hi magistri barbari putabant Latine loqui esse dedecus atque ignominiam, nam si quis Latinum verbum unum dicere audebat, illum ut stultum ridendo contemnebant et «grammaticum» contumeliose vocabant (officium enim grammaticum illo tempore humillimum omnium apud philosophos scholasticos existimabatur),⁴ et is qui Graece loqui conabatur, similis monstri habebatur et dignior admiratione quam mula foeta.⁵

Barbaria sive *barbaries* Graeca significatione est, ut vos, candidi lectores, scitis, omnis externa regio non Graeca; Latina autem significatione est omnis externa regio praeter Graeciam et Italiam, unde *barbaria* sensu latiore dicitur de re quacumque aspera, agresti, inculta et maxime de rusticitate, de imperitia et de ignorantia utriusque linguae, id est sermonis Graeci Latini. Vocabulum *barbaria* denique est contrarium *cultui* atque *humanitati*.

Sensus enim translaticius seu metaphoricus carminis patet ex primo versu, qui Lucani *Bellum Civile* redolet et tamquam antesignanus nuntiat id quod subsequetur:⁶

³ Arius Barbosa adverbio et locutione singulari –fortasse metri causa– utitur ea quae est *fari Latie*, quam apud auctores antiquos non inveni, nisi in quodam loco Ciceronis, quae autem lectio est quorundam codicum antiquissimorum in editionibus recentioribus reiecta: Cic. *Tusc.* 5, 116: *nostrum Graece fere [alii codd. fari] nesciunt nec Graeci Latine*.

⁴ L. Gil Fernández, «Vilipendio del gramático», *Panorama social del humanismo español (1500-1800)*, Madrid, 1997² [1^a ed. 1981], 281-288.

⁵ Apud antiquos Romanos «mula», quae bestia «hybrida» est, sterilis existimabatur, unde mula «foeta» sive gravida aut praegnans prodigium habebatur dignum inscriptum in *Annalibus Romanis*, ut Plinius Maior (*nat.* 8, 173) et Iuvenalis (13, 65-66) testes sunt.

⁶ Signum quod est #... # sibi vult sedem metricam eandem esse.

Barbosa, 1: Barbariam #geminis# superavit #Graecia lustris#

Lucan. 1, 283: Bellantem #geminis# tenuit te #Gallia lustris#

Etenim verba, quae sunt *barbaries*, *hostis*, *classes*, *agmina*... symbolice usurpata, rem bellicam redolent, bina castra scilicet repraesentant, quibus verbis magister Lusitanus videbatur iuvenes studiosos Hispanos exhortari, ut expergiscerentur et tamquam milites strenui atque alacres circumirent et oppugnarent barbariem et insipientiam eorum qui obstabant quin novae aurae externae in conclavia scholastica et academica vetusta intrarent.

II. De ignorantia utriusque linguae AELIUS ANTONIUS NEBRISSENSIS (1444-1522), clarissimus grammaticus Hispanus, eodem tempore quoque scripsit atque sermoni Graeco sententiam adhibuit parissimam illi, quam in versu nono epigrammatis supra memorati legimus, in *Praefatione* scilicet libri sui *De litteris Graecis* inscripti:⁷

est incredibilis hominum veteris, qui adeo ad hanc unam rem obtorpuerunt, ut *iam monstro simile* habeatur, si quem viderint *Graeca legere, nedum loqui aut intelligere*.

Controversia quidem de opportunitate Latine vel etiam Graece loquendi antiquissima est, saltem in Hispania eaque ex aetate artium et litterarum renascentium orta. At opportunitatem atque utilitatem Latine scribendi nemo negavit umquam..., nemo videlicet prudens.

Plurima opera quidem Nebrissensis ille exaravit, cui propositum praecipuum erat totam Hispaniam linguarum vitiligine purgata Romano dolatorio levigare, verba putida polire, obsoleta decorare, peregrina fugare, omnia tandem in Latium nitorem redigere. Unde, ut olim Cicero Romam Graecam linguam traditur dictante Apollonio detulisse, sic Latinam in Hispaniam ipse non sine quadam arrogantia putabat:⁸

Nam fuit (quod sine arrogantia dictum esse velim) professio illa mea usque eo illustris, ut etiam malevolorum testimonio et inimicorum confessione totum hoc mihi tribuatur, quod *Latini sermonis officinam primus aperui*.

⁷ Antonii Nebrissensis *De litteris Graecis* [Locronii: per Arnaldum Guilielmum de Brocario], ca. 1507, f. [a1v].

⁸ Aelii Antonii Nebrissensis *Lexicon ex sermone Latino in Hispaniensem*, Salmanticae, 1492, f. a1r.

III. Quidam enim grammaticus Hispanus et veteris consuetudinis Latine loquendi vituperator, nomine FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS (1523-1600), anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo *paradoxon* finxit ad notandum usum pessimum linguae Latinae, quod fuit: *Latine loqui corrumpit ipsam Latinitatem*. Hoc enim paradoxon, quod nostris temporibus magistri Hispani coram discipulis adhuc dictitant in gymnasiis, in lyceis, in universitatibus studiorum, quidam Anglus nomine Henricus Jason eodem illo tempore tam salsissime iam redarguit, ut Brocensis ipse coactus sit id mutare aliquot annis post et palinodiam canere hanc: *Qui Latine garriunt corrumpunt ipsam Latinitatem*.⁹ Hoc paradoxon etenim et pravum et perversum multum damnum tulit institutioni linguae Latinae in Hispania, etiamsi iam refutatum esset, inquam, saeculo ipso decimo sexto.

Quippe studiosi et cultores linguae Latinae et litterarum Romanarum in bina castra dividi videntur, id est ex altera parte in castra eorum qui numero plures usum linguae Latinae ignorant aut respuunt vel potius flocci faciunt, atque ex altera parte castra eorum qui, etiamsi numero minores, alacres usum propugnant et Latine loqui defendunt, saltem ex temporibus Renascentibus, ut carmen Aarii Barbosae ostendit.

IV. ARCADIUS AVELLANUS (1851-1935) quidem anno millesimo nongentesimo vicesimo secundo in prooemio operis illius clarissimi ab eo Latine conversi, cui index est *Insula Thesauraria*, mentionem expressius facit duorum castrorum, quorum altera sunt «scholasticorum», altera «philologorum», sed tertium locum suo aevo addit, videlicet in medio, in quo ipse sese collocat:¹⁰

Disciplinae linguae Latinae litterarumque Romanarum ac Latinarum studiosi et cultores aevi nostri universim *in duo castra* abeunt. – *Una eorum* sunt, qui Latina

⁹ De hoc argumento scripsit Iosephus Maria Maestre in symbola c.t. «De Latine loquendi controuersiis in Hispania (saec. XVI)», in: A. Capellán García,- M^a D. Alonso Saiz, *Acta selecta X Conuentus Academiae Latinitati Fouendae* (Matriti, 2-7 septembris 2002), Romae-Matriti, Academia Latinitati Fouendae – Instituto de Estudios Humanísticos, 2006, 81-110; idem et fusius in: «El Brocense contra el inglés Henry Jason: una nueva interpretación de la paradoja *Latine loqui corrumpit ipsam Latinitatem* y de sus posteriores cambios textuales», *Humanistica Lovaniensia* LVI (2007), 177-227.

¹⁰ Roberti Ludovici Stevenson *Insula Thesauraria*, opus ab Arcadio Avellano Latine conversum, Novi Eboraci, 1922, i-ii. URL:
<http://www.pantoia.de/Avellanus/InsulaThesauraria/index.html#pagina>.

lingua in rebus scholasticis veluti sermone vivo ac praesenti tamquam adminiculo utuntur, quos ideo *Scholasticos* appellamus. Hi fere sunt Magistri ac Professores Seminariorum Sacertodaliū iurisdictionis atque obedientiae Pontificiae Romanae. His adnumerandi sunt omnes sacerdotes Ordinesque Religiosi in omni terrarum orbe atque eruditi saeculares sive laici, veluti professores, advocati atque medici, asseclae Coetus Romani vel, ut vulgo dicimus, Ecclesiae Romanae in omnibus terrae gentibus. – *Altera castra* sunt eorum, qui a Coetu Romano desciverunt et, quoniam civilitatem Romanam exuere nolunt, has disciplinas conservandas prosequendasque iudicant. Verumtamen, quum usum sermonis et exercitationem in rebus scholasticis defectione amiserunt, Latinam linguam ex auctoribus Romanis eruere atque tamquam ab extrinseco in usum linguae introire tentant.¹¹ Hos fortasse *philologos* recte appellabimus.

Nos in medio sumus, utpote qui et sermonem Latinum callemus ususque scholasticos scimus, nec philologiae sumus ignari.

V. Saeculo vicesimo primo ineunte, quamvis milites nunc alias galeas, alios gladios, alias hastas induant et coetus Romanus magis in dies languescat, res manet simillima: bina castra exstare pergunt atque etiam spatium quidem locorum medium (tempora, ut apparet, mutari non videntur!), in quo ei qui tunc erant et nunc sunt, non admodum dissimiles esse videantur eorum quorum viam ERASMUS ROTERODAMUS (1466-1536) anno millesimo quingentesimo vicesimo sequi moneret.¹²

Ego nec hos probo qui, neglectis in totum praeceptionibus, ex auctoribus petunt loquendi rationem; nec hos qui praeceptis addicti non versantur in evolvendis auctoribus. *Praecepta volo esse pauca, sed optima; quod reliquum est arbitror petendum ex optimis quibusque scriptoribus aut ex eorum colloquio qui sic loquuntur ut illi scripserunt.* Haec via si cui non placet, non video quid supersit, nisi ut ad magicas ineptias et polygraphias ridiculas confugiamus, quas non videmus adhuc cuiquam usui fuisse.

VI. Fere omnia proposita enim, quae in universitate studiorum Hispaniensi nonnulli ad nova proposita didascalica agenda aptare conamur in castris mino-

¹¹ tentant *correxerunt* : tantant in *Arcadii Avellani opere supra memorato legitur.*

¹² Verba haec data sunt Lovanii XI Ca. Iul. An. M.D.XX. Cf. P. S. Allen (ed.), *Desiderii Erasmi Roterodami Opus epistolarum*, Oxford, Oxford University Press, 1992, IV 290, n° 1115.

ribus copias habentes et militantes,¹³ ex locis a viris doctissimis et humanissimis scriptis mutuari solemus, quorum opera perscrutamur et investigamus, atque in scholis, quas ipsa Gadibus habeo, primas partes agit una cum usu *ars Grammatica*, id est «ars recte loquendi, recte scribendi, scriptorum et poetarum lectionibus observata», sicut legimus apud NICOLAUM PEROTUM SIPONTINUM (1429-1480), Quintilianum sequentem, cuius *Rudimenta Grammatices*,¹⁴ in lucem primum edita anno millesimo quadingentesimo septuagesimo tertio, in magno usu fuerunt saeculis decimo quinto et decimo sexto.

VII. Quippe vir quidam grammaticus atque historicus nomine LUCIUS MARINEUS (ca. 1444-1536), qui ex Sicilia oriundus usque ad diem vitae extremum in Hispania versatus est, *Grammaticam brevem et perutilem* vestigia Perotti sequens scripsit, in cuius calce monuit haec maximi momenti:¹⁵

Vide igitur quaeso, vide inquam, obsecro, si dei iudicium times, qui pueros Grammaticam doces, *ne tuae magis quam discipulorum utilitatis rationem habeas*, neve quod quinque mensibus efficere possis, in quinquenium differas.

Haec verba autem, ut ea recte intellegamus, intra quoddam proelium intestinum locare debemus gestum inter grammaticum nostrum clarissimum Antonium Nebrissensem, in universitate nostrate illo tempore regnantem, et quosdam Siculos, discipulos Pomponianos, qui frustra conati sunt in scholas Hispanicas adferre rationes docendi in Italia vel in Germania adhibitas, *cuius rei testis fuit olim Romae Quintilianus, testis fuit in Germania postea Erasmus*.¹⁶

VIII. Testimonium enim iustissimum ad verba bene capienda illa Marinei, modo memorata, datum est ab IOANNE MALDONATO (1485-1554), in cuius opusculo, cui index est *Paraenesis ad politiores literas aduersus grammaticorum vulgum*,

¹³ Videatis proposita nostra didascalica in pagina retis omnium gentium cui index *Sal Musarum* est. URL: <http://www.salmusarum.com/>

¹⁴ W. Keith Percival (ed.). *Rudimenta Grammatices by Niccolò Perotti*, Electronic edition created by Center for Digital Scholarship, University of Kansas Libraries, 2010, 20. URL: <http://hdl.handle.net/1808/6453>. Videatis et Quint. *Inst.* 1, 4, 1: *Grammatica recte loquendi scientia et poetarum enarratio; scribendi ratio coniuncta cum loquendo est*.

¹⁵ L. Marinei Siculi *Grammatica brevis et perutilis*, Compluti, excudebat Michael de Eguia, 1532, f. [i3v]. Haec fuit altera editio operis ad principem Philippum, quinque annos tunc natum, futurum regem Hispanorum dicata, cuius priorem Hispali anno 1501 ipse prodidit ad nutum reginae Hispanorum. Videatis infra annotationem numero 34.

¹⁶ L. Marinei Siculi *Grammatica...*, ibidem, f. [i3v].

Burgis anno millesimo quingentesimo undetricesimo in lucem edito, multa de institutione linguae Latinae in Hispania atque in Italia posteritati reliquit.¹⁷

Maldonatus enim plane expressit quae esset causa cur in Hispania tanti viri docti eruditique admiratione digni non fuerint quanti in Europa eminuerint. Causa huius morbi praecipua erat, ut eius opinio ferebat, ratio pessima, perversa et prava, qua discipuli Hispani erudiebantur, nam pueri regulas plurimas atque infinita praecepta grammatica perdiscere cogebantur. Causa denique erat, ut Maldonatus existimabat, noster Antonius Nebrissensis vel potius, ut verum dicam, eius ars grammatica prave adhibita:¹⁸

At nostri totam mox Antonii Nebrissensis grammaticam pueris obtrudunt, nullos in ea locos distinguentes quos memoriae mandent, sed *ab ovo*, quod dicitur, *ad mala* absorbendam inculcantes.

Discipuli, ut apparet, totam grammaticam Antonii Nebrissensis memoriae mandare invito debebant, quoniam magistri Hispani putabant *Nebrissensem esse una cum Laurentio Valla ianuam ad linguam Latinam*, quae si non prius patefiebat, mirum quam inanis esset labor eorum qui eloquentiam stilumque venabantur.¹⁹

IX. Nonnulli quidem fuerunt peregrini *humanistae*, qui dicuntur, iique maxime Itali, qui una consentiebant rationem didascalicam in Hispania pollentem condemnandam esse, inter quos erat alter SICULUS natu minor nomine LUCIUS FLAMINIUS († 1509), *vir romanus, profugus patria undisque iactatus*, qui Salmanticam venit acceptusque honorifice, salario publico reffectus et sublevatus coepit enarrare Plinium de *Naturali historia*, postea Ciceronem simul de *Natura deorum* et de *Finibus bonorum et malorum*.²⁰ De quo Ioannes ille Maldonatus notitias praebet multas, imprimis de eius praelectionibus in Academia Salmanticensi et de eius proventu coram auditoribus ceterisque professoribus. Nam eius genus dicendi *ardens ac concitatum* in magna admiratione omnibus erat: *Tantus quidem erat concursus doctorum et scholarium*, inquit, *cum is*

¹⁷ Ioannis Maldonati *Paraenesis ad politiones literas aduersus grammaticorum uulgum*. [Burgis], 1529.

¹⁸ Maldonati *Paraenesis*..., ibidem, f. [a3v].

¹⁹ Maldonati *Paraenesis*..., ibidem, f. [a4v].

²⁰ S. Ramos Maldonado, «De Lucio Flaminio Siculo, oratore, poeta atque enarratore Plinii Maioris in universitate studiorum Salmanticensi», *Mantineia*, Ed. Accademia Vivarium Novum - Istituto italiano per gli studi filosofici - Pontificium Institutum altioris Latinitatis [sub prelo].

*Ciceronem et Plinium enarrabat, ut Academia vix caperet multitudinem.*²¹
Opinio autem Flamini de moribus eruditioneque grammaticorum Hispanorum pessima erat atque hostilis, utpote qui eos a pueritia prave institutos esse putaret:²²

Ille autem, qui nostrorum grammaticorum mores iam percalluerat: «Quinam potestis vos, inquit, Hispani ad eloquentiam bonasque disciplinas feliciter aspirare, qui sic estis a pueritia instituti, ut *citius asinum posse loqui putem, quam vestrum quempiam phrasim Romanam concipere?*»

Quam dura atque acerrima verba tanquam venenatas sagittas in Hispanos iactata! Maldonatus autem admirationem faciebat maximam eloquentiae extemporalis illius Siculi, qui mores institutorios nostrates sic deridebat, ut tumidus ipse gloriaretur et contumelias iactaret in magistellos Hispanos, quos appellabat *miseros*, cum grammaticam Nebrissensem censerent cunctis aliis antestare et praecellere:²³

«An tu non probas, inquam, Nebrissensis nostri grammaticam, quæ cunctis dicitur aliis antestare?» «Vos, inquit, appello *miseros*, qui eam opinionem induistis; quippe Nebrissensis, ut est vir summa industria, labore maximo, nec ingenio omnino infelici, ea tot annos invenit, quæ ad commendandum eius irrequietum studium valeant apud suos plurimum, non quæ proponi debeant rudi iuventuti, cum sint eiusmodi plæraque ut ni qui ea e fontibus hauserint, operam et impensam ludant|». «Ecquid? Vos, inquam, Itali, quum grammaticis pueri tradimini, sine arte discitis rudimenta?».

Quippe *Artem Antonii Nebrissensis Introductiones Latinas* nuncupatam –quæ quasi Biblia Sacra Vulgatae editionis inter omnes grammaticas artes illo tempore habebatur²⁴– Lucius Flaminius eruditum opus existimabat ideoque opus idoneum ad praeceptores, minime autem ad discipulos, utpote quod praeceptis inanibus et innumeris regulis puerorum mentes irretiret et magnam temporis iacturam eis faceret ad perdiscendos optimos auctores, qui legendi essent quam primum et post nonnulla grammatices rudimenta.

²¹ Maldonati *Paraenesis*..., ibidem, f. c4r.

²² Maldonati *Paraenesis*..., ibidem, f. c4r.

²³ Maldonati *Paraenesis*..., ibidem, f. [c4v].

²⁴ Gil Fernández, *Panorama social*..., opus supra memoratum, p. 124.

Rogatus enim ab Ioanne Maldonato quomodo in Italia ratio institutionis esset, Flaminius respondit haec dignissima lectu:²⁵

Libellus quatuor aut quinque foliorum pueris exhibetur, in quo declinandi ac coniugandi brevis formula continetur,²⁶ quo absoluto, fit quidem intra mensem; ad Terentium statim et Salustium iubemur applicare animum. Enimvero, Maldonate, nondum *ego plene nonum aetatis annum agebam, et Salustium relectum a matre totum memoria tenebam*, prandiolum siquidem matutinum sumere per matrem haud prius licebat quam, quod pridie ipsa praelegerat, renarrarem et sine libro redderem.

O quam miram vim institutionis femineam tot saeculis sublatam! Sed legere pergamus:²⁷

A sinu matris eiusque disciplina ad Pomponium Lætum, qui Romæ per id tempus in gymnasiis regnabat, sum delatus et in rhetoricis et omnibus claris autoribus ab eo exercitus. Docebat ille quidem suos discipulos tum declamare, tum versus componere ac mensurare. Utilissimum etiam ducebat, ad parandam copiam elegantiamque sermonis, Terentii comœdias et Plauti nonnullas in cœtu populi ... frequenter agere.

X. Lucius Flaminius, qui quidem Romæ sub Marte POMPONII LAETI (1428-1498), praestantis viri, multos annos militans didicerat tum declamare, tum versus componere ac mensurare et in rhetoricis et omnibus claris auctoribus sese exercere, ductu inquam Pomponii Laeti contendeat quam difficillimum esset Hispanos discipulos fructibus dulcissimis Musarum frui, quippe cum palaestras frequentarent lacunosas et lutulentas et spurcas:²⁸

Vos autem ipsis principiis ita cæci aberratis, ut Musæ, si cupiant, non valeant in viam reducere. Consectamini lacunas et cœnosos quosdam rivulos ranarumque voces prærancidas admiramini, cum facillimum vobis esset ad fontes mox liquidos recurrere concentibusque Musarum perpetuo frui.

²⁵ Maldonati *Paraenesis...*, ibidem, f. [c4v-c5r].

²⁶ Gerardus Ioannes Vossius (1577-1649) quoque pagellas paucas commendabat ad Grammaticam tradendam: *Mox hauriet praecepta artis Grammaticae, quae adeo sunt pauca, ut pagellis viginti liceat complecti* (*De studiorum ratione opuscula*, Amstelodami, apud Ioannem Iansonium Iuniorem, 1654, 16-17).

²⁷ Maldonati *Paraenesis...*, ibidem, f. [c5r].

²⁸ Maldonati *Paraenesis...*, ibidem, f. [c5r-c4v].

Acerba Flamini opinionione audita, Maldonatus nihil redarguere poterat nisi sui misereri, unde animum despondere nolens, ex Siculo quaerebat utrum sibi remedium ullum fieri posset:²⁹

«Miserum me, inquit Maldonatus, qui tot annos tamque florentes frustra nulloque fructu peregi! Poterone, mi Luci, per superos oro, iacturam temporis aliquo pacto resarcire?».

Responsum finale Siculo severum fuit spe bona non carens:³⁰

«Difficillimum, inquit, existimo, sed si vales ingenio curasque praeteritorum oblivisci, nihil est quod labor improbus non efficiat».

XI. At viri docti atque eruditi Hispani fuerunt, sicut IOHANNES LUDOVICUS VIVES Valentinus (1492-1540), qui putarent fieri posse auctores antiquos probatos attente imitari et simul sermonem Latinum usurpare recentiore ac vividum, aptatum denique ad novas res moresque. Et corruptionem Latinitatis istam, cuius mentionem nonnullis annis post faciet Sanctius ille Brocensis, Vives omnino evitari posse tunc affirmabat huiuscemodi:³¹

Ut audieris doctos loquentes aut legeris apud scriptores Latinos, sic ipse loquere; verba quae habebis suspecta sive loquendo sive scribendo, fugito, ne prius sciscitatus sis ab institutore quam sint Latina; cum iis qui imperite loquuntur Latine, quorum sermo potest tuum corrumpere, malis Britannice aut alia quavis loqui lingua, in qua non sit idem periculi.

De grammatica autem arte Vives noster clarissimus (qui fortasse hac causa ille peregre clarusque fuit, quod videlicet conterraneos vix audivit et fere totam eius vitam apud Anglos et Belgas versatus est!) contendebat sequendum esse usum potius quam artem, quae sit usu constituta, non e contrario, sed ipse quoque putabat non despiciendam esse artem, modo ne ea esset superstitiose anxiosa et molesta. Nam *quum populum non habeamus et eruenda sint ex scriptoribus omnia*, hoc tempore formulis opus esse atque arte grammatica:³²

²⁹ Maldonati *Paraenesis*..., ibidem, f. [c5v].

³⁰ Maldonati *Paraenesis*..., ibidem, f. [c5v].

³¹ Iohan. Ludovici Vivis *De ratione studii puerilis epistulae duae*, Lipsiae, 1538 [1^a ed. Lovanii 1524], p. 8.

³² Iohan. Ludovici Vivis *De ratione*..., opus supra memoratum, p. 12.

In his omnibus auctoribus animadvertes quemadmodum formulae grammaticae servantur, quemadmodum negligantur, nam in multis varius et multiformis usus in normas et praecepta concludi non potuit, *sequendus tamen potius quam ars, quae est usu constituta, non e contrario*. Neque vero despicienda est idcirco ars, modo ne sit superstitiose anxia. Formulæ enim est hoc tempore opus, *quum populum non habemus et eruenda sunt ex scriptoribus omnia*, alioqui cum non succurret ex his loquendi ratio, ut soloecissemus necesse erit, ut etiam maxime succurrat.

Grammatici quidem Hispani fuerunt qui putarent grammaticam esse scientiam, quae ianuam aperire posset ceterarum disciplinarum superiorum. Si grammatica neglecebatur, ut Vivis opinio ferebat, ceterae artes in corruptionem incidebant.

XII. Inter grammaticos Hispanos quoque adfuit MARTINUS CUEVA CARMONENSIS, qui scripsit libellum *De corrupto docendae grammaticae Latinae genere et de ratione eiusdem breviter recteque tradendae* (Antuerpiae, 1550), in quo monstrare conatus est primum quam inepte et prolixè, ne perperam dicatur, sermo Latinus doceri vulgo soleret, deinde quam commode, quam brevi, non plus quidem sex mensibus, tradi posset, si tamen contingerent et magister disertus et ingenium docile et temporis otium. Causae enim praecipuae, quae corruptum genus docendi sermonis Latini attulerunt, sex erant, apud Carmonensem, quarum indicem hic habetis:³³

1. Male institui puerum, dum illi aliquis scriptor artis Grammaticae *ab ovo*, quod aiunt, *usque ad malum* praelegitur.
2. Non bene disci Latini sermonis phrasim ex solis grammaticorum regulis.
3. Non esse diversum Grammaticae loqui a Latine loquendo.
4. Non esse interpretandos multos simul sermonis Latini autores.
5. Pessime facere qui citra delectum libros interpretantur.
6. Non esse interpretandos poetas simul cum oratoribus.

Rimemur nunc primam causam, quae simillima est ei quam Maldonatus praecipuam expressit, cum retulisset magistellos inculcare Nebrissensis illius artem grammaticam *ab ovo usque ad mala* absorbendam. Causa quidem communis et usitatior corrupte docendi sermonis Latini est, quod magister nihil habet rei cum auditoribus vel discipulis, sed tantum secum et suis libris, nam magistri pueros suscipiunt arte grammatica instituendos iisque nonnullum grammaticum obtrudunt, quem totum ediscant et a quo ne unguem quidem latum

³³ M. Mañas Núñez, «Pedagogía y teoría gramatical en el *Libellus* de fray Martín de la Cueva», *Minerva* 26 (2013), 205-230 (maxime p. 209).

discedant. Hic magister Donatum dat, ille Sipontinum, alius Vallam, alius Nebrissensem, alius Brocensem, quisque denique proponit illum quem vel maxime probet vel ipse didicerit.

XIII. In Hispania, inquam, ANTONII NEBRISSENSIS *Introductiones Latinas* pueri memoriae mandare debebant totas, «ab ovo, quod dicitur, usque ad mala», ideoque eas pertimebant, utpote quae immanes essent. Nam editionem principem anni millesimi quadringentesimi octogesimi primi plurimae editiones secutae sunt, quae *Artem* illam priorem postea fecerunt enormem. Huius operis eventus quidem verus fuit et celerrimus, sed detractores academici non defuerunt qui nova improbarent et propter «inertiae dulcedinem» (ut verbis utar Cornelii Taciti) a rationibus mediaevalibus (ut ita dicam) docendae linguae Latinae discedere nollent, nimis assuefacti versibus *Doctrinalis puerorum* Alexandri Villadei aut aliis opusculis similibus aetate quae media dicitur usitatis. Tandem aliquando *Ars* Nebrissensis palmam obtinuit inter omnes ceteras Grammaticas, sed voces quoque simul personaverunt contrariae inter humanistas ipsos qui dicebantur «reformatores», praesertim inter Italos apud nos versantes, qui querebantur non solum propter operis magnitudinem istam discipulis inanem, verum etiam quod Antonius ipse introducere in *Artem* suam coepit linguam vernaculam (perversam haeresim apud Italos!).

XIV. Fama est LUCIUM MARINEUM SICULUM, supra memoratum, primum esse in Hispania, antequam Ioannem Maldonatum, qui voce elata clamavit adversus volumina Grammatices diffusa et magna et taediosa, sicut illa Antonii Nebrissensis, unde scripsit *Grammaticam brevem et perutilem*, cuius mentionem supra feci.³⁴ Alter Siculus natus minor LUCIUS FLAMINIUS, supra quoque memoratus, duo carmina composuit ad commendandum hunc libellum *De Grammatices institutionibus* brevem et perutilem ab amico conciveque conscriptum: alterum *Ad Helisabellam, Hispaniae Siciliaeque reginam* dicatum, utpote quae a Marineo rogavisset linguam Latinam docere adolescentulos in Aula Regia; alterum carmen *Ad lectorem*, quod mentionem continet obscuram et hostilem sub locutione, quae est *Rhemniacus libellus* (v. 7), non tantum ad

³⁴ Videatis supra annotationem numero 15. Marineus editionem operis principem anno 1501 Hispali prodidit reginae Hispanorum Isabella dicatam, cui index fuit *De Grammatices institutionibus libellus brevis et perutilis*.

grammaticum antiquum Remmii Palaemonem³⁵ relatam, sed potius, mea quidem sententia, ad *Artem* Nebrissensem:

Qui cupit optatam citius contingere maetam,
 Hunc legat et parvo tempore doctus erit.
 Tempore quae longo scripsit studiosa vetustas,
 Hic brevibus verbis, hic vigilatus habet.
 Horrea vestra seges parvo repleta labore 5
 Haec feret, haec celeris munera cuncta dei.
Rhemniacus uerbis perplexis illa *libellus*;
 Somnia si fingunt, vera pagella dabit.
 Murmura si rauci Zephyris decurrere ponti
 Forte cupis, facili te vehet amnis aqua. 10
 Hoc Ciceronis opus poteris cognoscere, campos
 Maeonios, Siculi quod monumenta canunt.

Uterque Siculus enim, et Marineus et Flaminius, artem defendebant compendiosam et perutilem, quae discipulos rudimenta doceret et auxilium ferret necessarium ad quam primum incumbendum in studium auctorum Latinorum probatorum.

Quamobrem Siculi illi contentionem pugnamque in Hispania clam gesserunt in Nebrissensem atque carmina et epistulas et locos scriptos nonnullos obscuros exaraverunt, in quibus Antonii imperium grammaticum, quod adtenuare conabantur, subtiliter vituperabant, quos locos ego ipsa³⁶ aliique philologi³⁷ illustrare atque in lucem edere conamur, ut melius intelligamus quid in Europa acciderit institutioni linguae Latinae indeque studiis humanitatis. Nam quamvis Nebrissensis noster barbariam Hispanicam debellare et linguam Latinam

³⁵ Aetate artium renatarum nomen Quinti Remmii Palaemonis scriptum erat litteris consonantibus Rh- y -mn-, ut puta in Aarii Barbosae carmine *Ad lectorem* Nebrissensis *Artis* anno 1495 editae (v. 1): *Rhemniacos... libellos*.

³⁶ S. Ramos Maldonado, «Referencias veladas al *Arte* de Nebrija en los *carmina* de Lucio Flamini Sículo para la gramática de Lucio Marineo Sículo», *Revista de Estudios Latinos* 17 (2017), 177-200; «Estudio, edición y traducción de una epístola latina de Lucio Flamini Sículo a Antonio de Nebrija (Salamanca, 1504)», *Cuadernos de Filología Clásica. Estudios Latinos* 38.2 (2018), 229-254.

³⁷ E. Asensio - J. F. Alcina, «Parænesis ad litteras». *Juan de Maldonado y el Humanismo español en tiempos de Carlos V*, Madrid, Fundación Universitaria Española, 1980; J. M.^a Maestre Maestre, «La *Diuinatio in scribenda historia* de Nebrija», *Euphrosyne* 23 (1995), 141-173; T. Jiménez Calvente, «Lucio Marineo Sículo y Antonio de Nebrija: crónica de una relación difícil», *Cuadernos de Filología Clásica. Estudios Latinos* 14 (1998), 187-206.

reformare voluerit (quod minime dubitandum est), grammaticam tamen dedit verbis *perplexis, obscuris* involutam et a magistris postea inepte prolixè perperam traditam. E contrario Lucii Marinei pagella, ut opinio Flaminii ferebat, poterat non tantum adversus detractores malevolentes, qui contumelias iactabant in artes grammaticas reformatas, verum etiam coram Antonio ipso grammatico arroganti quasi altero Remmio Palaemone,³⁸ poterat inquam veram praebere institutionem linguae Latinae, quae ante eum alii praeceptores iam dederunt, ut Quintilianus scilicet apud antiquos, ut apud recentiores primum Pomponius Laetus et Perotus Sipontinus, ut deinde Erasmus et Vives.

Sed id quod tandem aliquando accidit, ut compertum habet is qui in Hispania nostris temporibus vim accommodare suam cupit ad linguam Latinam atque ad philologiam, fuit hoc: palmam grammaticam cepisse apud nos fere usque ad saeculum undevicesimum Antonium Nebrissensem victorem, sicut Marineus ille Siculus arma tradens in *Grammaticae* suae altera editione fassus est quattuor annis ante quam ipse de vita decesserit:

Marinei *Gramm.* Hispali 1501, f. [c2v]: *Siculus docet et discipuli discunt.*

Marinei *Gramm.* Compluti 1532, f. F2r: *Antonius docet et discipuli discunt.*

XV. Meta iam contingenda est. Ergo quid de verbis meis colligere possumus? Colligatis quaeso hoc, candidi lectores studiosaeque lectrices: si volumus ut lingua Latina locum suum recuperet praecipuum, ut studia humanitatis possint renasci, sequendus est usus potius quam ars, quae est usu constituta, non e contrario, ut Vives expressius monebat, sed *cum populum non habeamus ab incunabilis Latine loquentem et eruenda sint ex scriptoribus omnia*, non despicienda est ars grammatica, quae nobis discenda est, cum simul Latine loqui discimus, modo ne ea sit superstitiose anxia, molesta, immanis, frigida et perplexa. Unde videamus quomodo nos, magistrae magistrique, grammaticam doceamus, si volumus ut tandem aliquando barbaria post saecula longa cadat, *o castris milites amici meis!*

ALEXANDRA [SANDRA] RAMOS MALDONADO
Universitas Studiorum Gaditana

³⁸ SVET. *gramm.* 23, 4, 5: [*Remmii Palaemonis*] *adrogantia fuit tanta ut M. Varronem porcum adpellaret, secum et natas et morituras litteras iactaret.* Haec verba conferatis cum Antonii Nebrissensis illis in praefatione eius operis in annotatione numero 8 supra memorati.